

Q. B. V. D.

1748, 32.

DISSE^TATIONEM
IVRIS ECCLESIASTICI PROTESTANTIVM
P V B L I C I
DE
IVRE CONVENTIONALI
SACRORVM DIRIGENDORVM
AVCTORITATE
MAGNIFICI IVRECONSVLTORVM
ORDINIS
P R O L O C O
IN FACVLTATE IVRIDICA LIPSIENSI
SVO ORDINE OBTINENDO

A. D. XXVI. SEPT. CIO IOCCXLVIII.

FVBLICE DEFENDET

D. IVST. CAR. WIESENHAVERN
HORIS ANTEMERIDIANIS CONSVETIS SINE, POMERIDIANIS SECUNDA
ET SEQ.
CVM RESPONDENTE
CAROLO LVDOVICO STIEGLITZ.
LIPSIENSI.

L I P S I A E
EITTERIS BREITKOPFIANIS.

ИАКОВ ПОСЛАНИЕ
КЪ РИМЛЯНОМЪ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГЪ



DE
IVRE CONVENTIONALI
SACRORVM DIRIGENDORVM
DISPV TATIO.

ARGVMENTVM TRACTANDORVM.

Iam hodie mensis est, cum dissertatione de Iure maiestatis sacrorum dirigendorum publice proposita, summos ex Iurisprudentiae studio honores more maiorum, rituque solemni ac ceremonia tuebamur. Contigerat autem illud tunc nobis præter cogitationem nostram, ut cum in animo haberemus omnia, quæ disputari de Iure sacrorum utiliter possent, consignandi, cre-
A sceret

fceret libellus in nimiam magnitudinem adeoque reprehendum potius, quam producendum volumen esset. Quæ causa fuit, quam ob rem de iure maiestatis tantum exponeremus, & quæ supererant ad aliud otium reservaremus, alteramque de codem argumento disputationem proxime prodituram sponderemus. Itaque ut fidem datam liberemus, & rationem reddamus occupationum nostrarum hiç, quorum interest, alteram nunc lubet disputationem proponere, eandemque tractare materiam, de qua dubitari, disceptarique ac dici in utramque partem aliquid non absurdè potest. Quia in re ita versabimur, ut primo quidem, quæ ad conventionalia iura societatis doctrinam a Christo & Apostolis traditam profitentis pertinent, expediamus; deinde de ipsa iurium sacrorum ad alias translatione fusius enarremus; denique his omnibus ea, quæ adversus aliorum sententias discordata videbuntur, breviter subiungamus.



SECTIO

SECTIO I.

DE

IVRIBVS SOCIETATIS SACRORVM
CAVSA CONCILIATAE CON-
VENTIONALIBVS.

§. I.

IVRA SACRORVM CONVENTIONALIA
QVID SINT?

Iura Sacrorum ut §. XVI. dissertationis de I. M. Sacr. dir. innuimus, in maiestatis & conventionalia, quæ vulgo collegialia appellant, non inconcine distribuuntur. Illa sunt, quæ vi summi imperii imperantibus attribuuntur, hæc autem, quibus ipsa utitur societas & ab ipso ecclœ sacro ad alios, quicunque demum illi sint, sœpissime transferuntur. Sed quoniam potiores partes iuris sacrorum maiestatis in superiori libello tradidimus, nunc de diversis iurium conventionalium speciebus copiosius, & ex instituto exponemus. Et primum quidem dubitari omnium minime potest, ecclesiam peculiaribus uti iuribus, iis nempe quæ ad finem communem spectant, id est, ut secundum divinarum literarum dictum & ad præcepta Iesu Christi, qui primus hanc societatem instituit, suisque ornavit iuribus, publice Deo serviat, eumque reveretur. Nam si quæ in civitate societas sunt sive simpliciores sive magis compositæ, sive litterariae sive

A 2

merca-

mercatoriae, omnes ac singulae peculiari diversoque iure fruuntur, adeo ut omnia licita partibus cuiuscunque communitatis sint, sine quibus finis cuius obtinendi causa coauerunt, servari non satis commode potest. §. XII. *diss. inaugural.* Iuvat in hanc rem laudare venerabilis aetate, fama, meritis viri CHRISTOPH. MATH. PFAFFII *Instit. Iur. Eccl.** *Licet utique inquit, qui in societatem quandam coiere, pro ea etiam, quam lex naturalis nulla determinat & restringit, libertate in collegium quoddam coire, ibique cultui divino vacare, atque dein circa administrationem discipline collegialis ordinemque in conventu servandum per modum paceti, per modum conventionis, per modum confederationis leges ecclesiasticas condere, ad quas servandas omnes se sua sponte obligant, penitusque etiam pacitiis atque conventionalibus se subiiciant n. r. λ.*

* *Lib. V. cap. 3. §. 20.*

§. II.

ENARRANTVR IVRA CONVENTIONALIA

N E M P E

a) IURIS DOCENDI ET ADMINISTRANDI
SACRAMENTA.

Itaque si numerum inire iurium velimus, quae attribuenda ecclesiae sunt, tot fere iura esse existimamus, quot sunt actiones & media, quae ad finem obtinendum necessaria esse videntur. Nimirum cum ecclesia corpus quoddam sit ex pluribus partibus constans, necesse primum

mum est, ut ad eam conservandam conventus sacri instituantur, in quibus alii, quos doctores appellant, de rebus sacris pro concione dicant & initiationis & eucharistiae sacramenta rite administrent, alii autem qui auditorum nomine veniunt, verbum divinum devote audiant, precesque cum tota ecclesia ardenter coniungant, foederisque baptismalis memores sint, et sacra eucharistia ad animi vires spirituales conservandas augendasque salutiter urantur *.

* Col. III. 16. Rom. X. 14. Iacob. I. 21-25.

§. III.

§) IVS ELIGENDI CONSTITVENDI QE VERBI DIVINI MINISTROS.

Iam cum vel maxime ad docendum Christi sermonem & administranda sacramenta opus esse doctribus rerumque divinarum dispensatoribus videatur: penes ecclesiam facultatem quoque esse constat eligendi constituentique verbi divini ministros. Quemadmodum autem olim Deus aliquando immediate ut prophetas plurimos V.T. & in novo apostolos vocaverit; ita hodie immediate per ecclesiam fit, quod ex natura etiam, & indeole ecclesiae patet, quippe cui, ceu sponsa bonorum spiritualium administratio adeoque constitutio eorum, qui eiusmodi bonorum dispensatores esse debent, merito concredita censetur *. Neque enim deteriori conditione ecclesia est, quam aliae societates, aut collegia, quibus integrum est communi suffragio, qui rebus suis presint,

A 3 eli-

eligere. Deinde omnibus & singulis iniunctum est cu-
rare, ne ecclesia pro pastore lupus pro doctore corrup-
tor præficiatur; hinc neutquam sacro cœtui denegand-
um ius est, probandi spiritus, num a Deo sint, & mi-
nistros removendi segregandique, si quid est, quod in
vita aut doctrina desiderari iure possit.

* *Math. XVIII. 17. 1 Cor. IV.* Accedit etiam veteris ecclesiæ pra-
xis. *Afor. I. 15. VI. 2.* Ceterum sunt quædam iura conventio-
nalia, que pro diversitate fundamenti, ex quo hanciuntur, ma-
iestatis esse possunt. Ita in constitutione verbi divini ministrorum
diversa partes tum Principis tum membrorum ecclesiæ sunt.
Magistratus nemp̄ suprema totius negotii directio, confirmatio,
investitura, & quæ reliqua sunt eiusdem generis convenient, ei-
que vel maxime incumbit curare, ut omnia ordine & decenter
fiant, & homines eligantur idonei, qui suo rite fungi munere
possint. Ipsis vero partibus ecclesia facultas competit cognoscendi,
& indicandi de doctrina itemque de vita & moribus co-
rum, qui muneri sacro destinantur. Utuntur etiam iure suffra-
gii, eoque tum *approbationis*, quod vocant, si quem idoneum
ad recte administrandum grave officium, usque donis instructum
indicaverint, ut alii viam monstrare salutis queat, tum *reprobationis*,
si quid est, quod repugnare moribus atque doctrinæ a
Christo traditæ videatur. Itaque quamvis hodie magna varietas
pactis, concessionibus consuetudine firmata in eo genere depre-
hendatur, ut Sect. II. pluribus demonstrabitur; cavendum tamen
est ne pars quædam sua potestate, quam iure divino & humano
habet spoliatur. Pertinet hue, qua Vir suminus H E N R. a
C O C C E I I , & I C torum olim facile princeps, habet dissert. de
fundata in territorio, & plurim locorum concurrente potestate.
Tit. III. §. 22. Tempore gentilium Imperatorum inquit, Christiani
sub imperio Romano viventes, sibi ipsi Antifites suos eligabant,
nece tamen ideo discebant esse in potestate Imperatorum Romano-
rum. Ius enim eligendi antifites, si alii id competit, non tollit
summarum potestatem, a qua longe plura abesse possunt.

§. IV.

§. IV.

IV) IUS ELIGENDI CONSTITVENDI QE 'ΕΠΙΣΚΟ-
ΠΟΝ SIVE INSPECTOREM.

Qui constituti ab ecclesia verbi divini ministri omnes
inter se sunt æquales, discrimenque quod inter episcopos
& presbyteros deinceps intercessit, plane ignorat scriptu-
ra *; tantum abest ut uni ἔξοχη quædam civilis aut
omnino imperium in reliquos concedatur. Potest autem
pro diversitate munierum, quibus dispensatores arcana-
rum divinorum funguntur, diversitas esse & inæqualitas;
minime autem cum imperio in alios coniuncta. Nempe
ecclesia uni alterive ministrorum, qui ætate & prudentia
reliquis præstat, hoc iniungere potest, ut non tantum,
quod præcipuum munus est, doceat alios, eruditaque
ad pietatem, sed etiam ad vitam & mores illorum, qui
CHRISTO nomen dederunt, suæque commissi curæ
sunt, diligenter attendat, eorumque res inspiciat, &
ordinet, ut omnia εὐχημένως καὶ πατεραῖς secundum
PAVLI monitum *i Cor. XIV. 40.* fiant. Itaque nihil ob-
stat, quo minus uni inspectio quædam in alios pastores &
presbyteros conferatur; quo ipso nihil inspectoribus vin-
dicatur, quod cum imminutione iurium, quæ aliis com-
petunt, coniunctum esse videatur **. Societati autem
in constituendo inspectore vel maxime cavendum est, ne
de omni iure suo concedat *** aut diversæ religionis ho-
mini supremam curam committat, qui tum ratione intel-
lectus & eruditionis, qua ornatum illum esse decet, tum
ratione

ratione voluntatis & virtutum, quibus eum instructum esse oportet, provehere felicitatem ecclesiae & amplificare nequeat.

* *Act. XX. 28. 1 Timoth. III. 1.*

** Ita præter alios **HENRICVS DODWELLVS** Episcopos im-
munes a potestate magistratus asserit, quem errorem pro-
fligavit **I. FR. BVDDEVVS** *Diss. de origine & potestate Episcopo-
rum contra Henr. Dodwellian* §. 30. & 45. seqq.

*** Non enim ita id accipere quis debet, quasi ecclesia de omni
suo iure cedat, si uni, alterive ius dirigendi sacra attribuat;
quoniam portius singuli supremam curam & inspectionem etiam in
ipsos inspectores retinet, quod ex fine & salute singulorum fa-
cile intelligitur. *Gal. VI. 4. 5.* Τὸ δὲ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμάζεται
ἔρασος, καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μένει τὸ καυχηματίζεις, καὶ οὐκ
εἰς τὸν ἔρεγον. *"Erasos γὰρ τὸ ιδιον φρεγίον βασάνει. Explo-
ret autem suum quisque opus, ita demum in se ipso tantum quod
glorietur habebit non in altero. Nam suum quisque feret onus.
Adde 1 Thess. V. 21. 1 Ioh. IV. 1. 2. 3.*

§. V.

§) IUS VISITANDI REFORMANDIQUE ECCLESIAS.

Quod si porro innotescat, corruptum esse ecclesiæ
statum, erroresque gliscere, qua doctrinam, aut mores
invalescere pravos; res ipsa & ecclesiæ salus postulat,
tempestive ut hisce morbis adferatur medela. Inde
novum societati ius oritur, emendandi, corrigendique
ecclesiæ corruptelas, quod ipsum ius reformati eccle-
siam vocari solet. Et de doctrina quidem observandum
est, eos qui ex imbecillitate errant, aut in vitia & erro-
res

res ducti sunt, omni mansuetudine in rectam viam revocandos esse; hos autem, qui resipiscere & ad frugem redire nolunt, doctrinasque suas & κανόνων φωνὰς adversus ecclesiae statum, fideique confessiones pertinaciter defendunt e societate esse plane eiiciendos. I Cor. V. 13.
 ἐξαιρεῖτε τὸν πονηρὸν. εἰς ύμῶν αὐτῶν. Auferte malos de medio vestrum. Tit III. 10. ἀρετικὸν αὐθεωπον μετὰ μιαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παρατίθ. Εἰδὼς ὅτι ἐξεσχάτται ὁ τοιότος, καὶ ἀμαρτάνει, ὃν αὐτοκατακρίτος. Hereticum hominem post unam alteramue admonitionem delinato, sciens eum perversum esse, Σ ita peccare ut ipse a se ipso damnetur. II. Tim. III. 1.-5. Corruptelis autem quoad mores obviam iri potest, si disciplina ecclesiastica rite administretur, quam ipsam ecclesiae propriam esse deinde §. VII. apertius declarabimus*.

* Vindicavimus §. X. *Diss. in ang* summo imperanti ius maiestatis legum ferendarum, quaे ut accurate serventur reipublicæ vel maxime interest. Itaque cum Principis sit dispicere, an leges observentur; ipsa officii, quo funguntur, ratio postulat, ut eodem Inre tum visitandi, tum reformandi ecclesiæ utantur. In qua quidem re violenter agere, aut quod naturæ & indoli religionis repugnat, ingum imponere conscientiis nequit; sed malo, in quantum Reip. falso & securitas efflagitat, mederi.

§. VI.

ε) IVS SYNODOS CONVOCANDI ET COMPONENTI SYMBOLA.

Sæpius porro contingit, ut de fide & disciplina ecclesiastica graviores controversiae oriantur, cit. loc.

§. XII. ad quas consopiendas optimum olim medium vi-
sum fuit institutio conciliorum, in quibus viri pii & pru-
dentes invocato rite nomine divino, collatisque omnium
suffragiis secundum divinarum litterarum dictum dispi-
cerent, quid cœlesti doctrinæ esset conveniens, & ita
lites obortas componerent. Ita ut hoc utamur concilium
illud Hierosolymitanum ab apostolis ad componendas
ecclesiæ Antiochenæ controversias habitum est, quodve
omnium primum esse argumentis afferunt ISAACVS CA-
SABONVS * RICH. MONTACVTIVS ** & CASP.
ZIEGLERVVS ***. In hac igitur congregatiōne primum
eligere eos, qui toti concilio præsint, ecclesia potest; deinde
vota colligere, & si inter ipsos tum de doctrina, tum de
reliquis controversiis, quarum dirimendarum causa in
peculiarem hanc societatem coierunt, convenerit, sym-
bola, fideique confessiones ad cœlestis doctrinæ analogiam
compositas condere; ita tamen, ut singula deinde
societatis membra ad dictum scripturæ omnia explorent,
iisque, quæ in synodis peracta sunt, suffragentur. In
componendis autem controversiis levioribus, ut de his
aliquid addamus, arbitri possint libera partium volun-
tate eligi, qui iudicis munus suscipiant, finemque arbitrio
suo controversiae imponant, quam optimam litium
tollendarum rationem in prima fuisse ecclesia, novi sce-
deris loca satis superque testantur****. *Quamquam alias*
PVFENDORFIVS inquit l. c. collegio in membra sua circa
illa negotia, que extra finem eiusdem posita sunt, turisdic̄io non
competat, nisi quantum forte a summo imperio civili delega-
tum

tum sit; id tamen salvo si mimo imperii iure fieri potest, & s̄epe solet, concordie eo melius in collegio servande, ut oborta inter membra collegii lites per interpositionem, & arbitria reliquorum e collegio componantur.

B 2

§. VII.

* Exercitatione XV. contra Baronium num 9.

** In Originibus ecclesiasticis Part. II. p. 157. edit Lond. d. ao. 1640.

*** De Iure maiestatis L. I. c. XV. §. 2, & 3.

**** Huc facit illud PAVLI i Corintb. VI. 1. seq. Ceterum quae sunt in conciliis summorum Imperantium partes, iam expositissimus c. l. §. XII, quibus hoc unicunq; lubet addere, posse imperantem, si qui de rebus sacris inter se disputent, & nimis fervore abrepti modum excedant, omni disputationi, concertationique limites praescribere, eosque, qui officii sui immemores sunt, penitus cercere. Sapissime enim iustili eiusmodi contentione, & concertatione in disputando pertinaci non religio tantum, sed ipsa reipublicæ salus in periculum adducitur. Itaque iam olim hoc obseruatum ab imperatoribus esse Lex. II. Codicis Theod. de his qui super religionem contendunt, comprobat. Nulli egresso ad publicum vel disceptandi de religione, vel tractandi, vel consilii aliquid deferendi patet occasio. Et si quid post hac gravi ausu atque damnabiliter contra huiusmodi legem venientium esset crediderit, vel insisteret motu peccata perseverationis audiebit, competenti pena de aliquo supplicio carceratur. Ad quam legem p. 112. edit Ritt. quid verba ista disceptare de religione, tractare, consilii aliquid deferre, sibi velint explicat IACOBVS GOTHOFREDVS: nempe disceptare de Religione esse disputare cum adversario; tractare autem concionari apud populum, consilii tandem aliquid deferre idem esse, ac populo quid suggerere, vel ad audiendum vel ad dicendum. Pertinet huic vel maxime SOZOMENI locus Lib. VII. cap. VI. in fin. p. 711. edit. Vales καὶ τὰς ἐπ' οὐρανὸς ἔργας, καὶ συνόδους ἀπηγόρευε καὶ διατέγεθαι τὸν αὐτὸν τρόπον περὶ θυσίας, καὶ φύσεως θεῶν, εἰς αὐτὸν ἐποιῆσθο, νόμον Σέμερος περὶ τέτε
καὶ

*καὶ τιμωρεῖσθαι ὁρίζεται. Contentiones quoque, & cætus in foro
fieri vetuit, utique de natura, & substantia Dei solito more di-
sputare haud quaquam tutum esset, efficer lata lege, & pena in
eam rem constituta. Loquitur autem de Theodosii Magni super
hac ipsa re constitutione, quam more suo i. e. eleganter & docte
interpretatur IAC. GOTHOFREDUS ḥ πάντα ad l. 6. C. Theod.
d. hereticis.*

§. VII.

IUS CANONES CONSTITUENDI, ET POENAS
CONVENTIONALES.

Ex principio, quod §. I traditum est, porro colligimus, unumquemque ecclesiæ socium obstrictum esse, obligatumque ad actiones suas communi societatis fini attemperandas. Vix autem alia dirigendi actiones hominum ratio suspetit, quam vt certa norma atque regula, ponatur, ad quam actiones in templis, & scholis dirigant, & exigant, & utrum exæ consentaneæ sint regulæ nec ne, iudicent. Opus itaque est legibus conventionalibus, quæ in patro sermone willkürliche aus freiem Willen erfohernes Recht, appellantur, in quibus ritus & ceremoniae ad cultum sacrum spectantes ceteraque definiantur, & abrogentur rursus si noxia sint, mutentur denique & emendentur, prout id ecclesiæ finis postulare videatur. Optime in hanc rem s. PUFFENDORFIUS l. c. §. 39. *Habent præterea
hoc omnia collegia non minus, quam ecclesiæ, ut communi consensu
statuta condere queant, ad peculiarem eorundem finem speßtan-
tia, salvis communibus civitatis legibus. Ex quo genere sunt
illa*

illa statuta, quæ Paulus Corintiis priori epistola cap. VII seq. commendat. Rituum vero, ad externum Ecclesiæ cultum spectantium, quorum complexus, & regula Græcis liturgia, Latinis missa dicitur, magna est varietas; & moderatio adhibenda, ne in apertam superstitionem degenerent, sed salubriter omnia, & in veram societatis salutem constituantur. Possunt ergo socii ferias, diesque paenitentiales indicere, & quo ordine, tempore *, & loco in conventibus publicis cuncta agenda sint, quibus utendum hymnis, quæ themata populo dicenda & explicanda, assignare & constituere; deinde publicarum precum formulas præscribere, & quæ reliqua sunt generis eiusdem. In ritibus autem, quos, quia a Deo præscripti sunt, & ad ipsam religionem christianam pertinent, divinos adpellamus, nihil libertatis hominibus relatum est, nisi quod locum, tempusque agendi attinet, aut in aliis adiaphoris definire aliquid recte homines possint. Sed quo magis in cultu Dei externo observetur ordo, utile esse, & necessarium existimamus, ut quæcumque salubriter constituta sunt, pœnis quoque confirmantur. Evidem non ignoramus, pœnam, si proprio vocabulū intelligas, non a privatæ sortis homine infligi, sed a publica auctoritate quadam pollente, sive is Deus, sive homo sit. Is enim potestatem pœnas infligendi habet, qui habet ius leges ferendi & secundum illas iudicandi, rationemque a nobis exigendi, cur leges migraverimus. At vero quemadmodum per conventionem leges, ita & pœnæ constitui sociales improprie loquendo

possunt, a quibus deinde ptenis non adeo diversa est disciplina ecclesiastica, quæ rectissime definitur sic, ut ponatur in ratione emendandi illos, qui vitæ morumque pravitate, se vera & genuina ecclesiæ membra non esse demonstrant; id quod sit per admonitiones, increpationes, tandemque per segregatiōnem, quam vulgo excommunicationem vocant. Nam quia omnes socii nihil agere debent, quod fini societatis aduersetur; sacro cœtu non potest vitio verti, si vel solum, tam male conciliatum a se segreget, vel certe, si spem emendationis relinquat, admonitionibus ad officium reducere allaboret.

* Non audiendi sunt, qui ius circa adiaphora maiestatis esse dicunt; neque in omnem partem recte se habent quæ Vir. Ill. de LUDEWIG afferit in *diff. de precipuo principi Evangelicorum* cap. VI §. 3. quicquid lege divina non cautum in sacris, illud in iussi & arbitratu esse principis evangelici; & Vir Ill. IO. FLOERCKE *in prenot. iuris eccl.* omne illud ad supremam potestatem pertinere, quod in iure non determinatum sit. Hinc melius rationes subducit N. H. GUNDLINGIUS *Iur. Nat.* cap. XXXVI, §. 46. *Eis adiaphora videntur mutationi obnoxia, non consequitur tamen, ut hec ab arbitrio principis in civitate pendeant. Externus sine adiaphoris invenitur nullus cultus, quorum electionem liberam qui tollit, libertatem religionis quam tamen probat penitus subruit.*

§. VIII.

n.) IUS COLLECTANDI.

Sed ne id quidem prætermittendum videtur, quod cum ad externam ecclesiæ ædiumque saerarum conservatiōnem, colligendamque, quæ opum indigis confertur, stipem,

stipem, denique ad alendos sublevandosque eos, qui
aræ dant operam* erogationibus communibus opus sit;
ipso quoque ecclesia ius exigendi collatitiam pecuniam,
sive ius collectandi quod vocant, competat. Ita in ve-
teri ecclesia iis, qui facultatibus exhausti, ad viatum
quotidianum, vitæque necessitates expediendas collata
dona esse testatur PAULUS**. Quæ ipsa collatio non
quemadmodum in Republica cives, pecunias ferendis
reipublicæ oneribus necessarias conferunt, sed libera so-
ciorum voluntate & ut PAULUS modo nobis laudatus ait:
ἐναγος ναθως προαιγέσται την ονειδιην, μη ἐνλύπης,
η εξ αὐτούς, prout quisque animo destinavit, non
zegre aut invitus ***. SAMEL PUFFENDORF l. c. Est
quoque, ait, ecclesiæ, sicut aliis collegiis aliqua potestas
collectandi, seu colligendi stipes, ad sustentationem ministro-
rum, & pauperum, haud quaquam tamen gemina potestati
imperandi tributa, que summis imperantibus civilibus com-
petit, cuius vi illa etiam ab invitatis exigi possint; sed ultro-
neam fideliū liberalitatem presupponens, ac iustitiae & hu-
manitatis officium comitans, quod operanis mercedem solui &
egenos sublevari imperat. Quodsi ergo ecclesia tanquam
universitas proprietate bonorum ornata sit, providi &
circumspæci estè socii debent in elocanda ecclesiæ pecu-
nia vel prædiis, omniaque in verum ecclesiæ commodum
utilitatemque expendere. Itaque penes ipsos potestas
est, res ecclesiasticas ad usus temporales quoque appli-
candi, si id efflagitare ecclesiæ salus, utilitas & honor
videatur; i. e. alienatio, quam barbaro vocabulo *seculari-*
satio-

sationem vocant, & in sacro collegio ex æquo & bono admitti potest, quicquid vulgo in contrariam partem, qui de consecratis Deo rebus disputant, adferre soleant ****.

* *I Corinth. IX. 13.*

** *Corinth. XVI. 1. 2. Q. S. F. TERTULLIANUS in Apologet. c. XXXIX. PUFFENDORFIUS de Habitū R. C. ad vitam civilem §. 31. in fine.*

*** *II. Corinth. IX. 7.*

**** Notissima sunt, quibus hodie principes devincire soleant, formula: Wer die geistlichen Güter nimmt, dem soll Leber und Lunge im Leibe verzehren. Item, Wer das thut, den soll Gottes Hand mit Armut, Krankheit, Schmach und Schande strafen. Quas execrationes in quibusdam monasteriis se vidisse refert, p. PETREIUS de Monasteriis §. 74. De ipsa secularisatione fuius exponit ut alios omnianus COCCEIUS ὡς παντα diff. de evocatione sacerorum seq. III. §. 23. seq.

§. IX.

IMPERANTES IURA CONVENTIONALIA ECCLESIAE DENEGARE NEQUEUNT.

Atque haec fere iura sunt, quæ concedenda saeculæ doctrinam religionis christianæ profitenti, quæ nisi tyrannidem concupiscere aut quod de Imperatoribus ethniciis novimus insidias struere ecclesiæ velint, denegere principes minime possunt. Imperanti quidem omnia licita sunt, sine quibus salus & tranquillitas publica servari nequit; sed quæ ad ipsas in republica conciliatas societas, earumque interiorem naturam, &

indo-

indolem pertinent, sibi tribuere haud potest. Ita in societate a mare & femina inita, deinde in paterna & herili, ut his utamur, varia iura sunt, veluti ea facere, quæ ad liberos procreandos pertinent, liberorum actiones dirigere, operisque servorum ad suam utilitatem promovendam uti, & quæ alia sunt generis eiusdem, quæ omnia si quis imperanti insolenter tribuere vellet, non dubitandum esset, quin omnem cum sensu rationem eius rasse omnibus videretur. Quod si interdum pauci sint principum, qui sua rite uti potestate didicerunt, aut si quis ex illis sua, qua circa sacra pollet potestate abuti velit, non leve quidem, quod patienti ferre decet animo, in ecclesiam redundabit incommodum; at enim tum Deo ecclesiæ tutela committenda, qui servabit illam, & pericula quævis ab ea depellet, quantumvis insaniant furore, qui eam deletam & pessimadatam prorsus cupiunt. Quemadmodum autem limitata Principum potestas in sacris est, ita nec iisdem, ceu rerum dominis eripienda, quibus pollut, iura sunt, ut ecclesiæ saluti consulatur. Iis ergo, qui ad societatem sacram se applicarunt, cavadendum est, ne, quæ ad iurisdictionem pertinent, arroganter sibi tribuant, & in causis coniugalibus, ut his maxime utamur, cognoscant & iudicent, sed principi potius, cuius est de rebus civilibus iudicare, hæc omnia relinquant. Aperte atque ingenue de hac re Lutherus in libro Germanico von Ehe Sachen *. Ich wehre mich fast, sunt verba, russé und schreye man sollte solche Sachen der weltlichen Obrigkeit lassen. Et deinde, es kan

C

nie

mand leugnen, daß die Ehe ein äußerlich weltlich Ding sei, wie Kleider und Speise, Haß und Hoff weltlicher Obrigkeit unterworfen, wie das beweisen so viele kaysersche Rechte darüber gestellet. So finde ich auch kein Exempel im neuen Testament, daß sich Christus oder die Apostel hätten solcher Sachen angenommen, ausgenommen, wo es die Gewissen berühret hat, als St. Paulus Corinth. VII, und sonderlich wo es die Ungläubigen und Unchristen betrifft.

* Tom. IV. Altenb. pag. 371 seq.

SECTIO II.
DE
TRANSLATO IVRE CONVENTIONALI.

§. I.

TRANSLATIONIS DVPLEX INPRIMIS
CAVSA EST.

Quoniam quæ sit societatis sacrorum causa constataæ ratio ac natura satis demonstratum est, intelleximusque, alia esse Iura quæ principi, alia quæ sacro cœtu tribuenda videntur; restat, ut, quomodo ad alios transferri socialia iura possint, curatius ostendamus. Huius autem translationis non una adferri causa potest.

Pri-

Primum enim quod in fine dissertationis inauguralis diximus, fieri potest, ut societas, si confusa sunt omnia & perturbata, se communi iuvare consilio nequeat, hinc aliorum implorare auxilium, ut ad ordinem se referat, eumque servet, cogatur. Deinde, ne finis quidem societatis qualiscunque facile obtinetur, nisi uni pluribus id negotii detur, ut de mediis ad finem adsequendum necessariis dispiciant; quod si quis aliis eleganter ut solet omnia 10. GOTTL. HEINECCIU^S demonstrat*. *Quemadnodum*, inquit, *periret procul dubio navis, repleta quantacunque hominum turba, nisi illa multitudo communem salutem permitteret uni gubernatori, perito rei nauticæ & omnia acturo, ut navem ex hieme marique scopulosos servet: ita fieri non potest, ut tot hominum myriades, quæ in tam magnam societatem coalescent, ex tam gravibus procellis civilibus, quæ quotidie ingruunt, ad incolumitatem perveniant, nisi ab uno pluribusce regerentur.* Quæ verba et si ad civitatem proprie pertineant, accommodari tamen ad societatem sacram posse palam est. c. l. §. XVI. not.*

* Element. Iuris N. & Gent. L. II. not. §. CXV.

§. II.

IVRA CONVENTIONALIA AD QVOS TRANSFERANTVR?

Diversa autem transferendorum Iurium socialium ratio est. Alia enim consociatio hominum christianorum & Societas ipsa retinet, alia sacrorum antistitibus, alia denique

iis cedi possunt, ad quos delatum in civitate sumnum imperium est. Quod Imperantes attinet, de quibus in iure gentium plenius dicitur, subiectum summi imperii proprium non semper uno eodemque se habet modo. Interdum enim summa potestas penes unum est hominem, unde Monarchia, interdum penes concilium ex selectis civibus constans, unde Aristocracia, aliquando penes concilium ex universis patribus familias compositum, unde Politia sive Democratio; quatenus vel unus vel plurim vel universæ multitudinis decreto voluntates suas cives submiserunt. Itaque prout in civitate hæc illave regiminis ratio est & forma, translatio quoque iuriū & cessio ab Ecclesia fieri potest.

§. III.

IVRA CONVENTIONALIA IMPERANTIBVS PRAE RELIQVIS OMNIBVS CEDENDA SVNT.

Quamvis autem cuiusque communitatis arbitrio relictum sit, quem demum rebus suis praefesse, & a quibus diriguntur actiones suas velit; gravissimæ tamen rationes exigere vindicentur, ut cœtus Christianorum vel maxime iis, qui principes civitatis sunt, & summa praediti potestate se suaque iura tradat*. Nam quod fuisus demonstravimus, imperanti ius maiestatis sacrorum dirigendorum tribuitur, & vi summi imperii utuntur iure inspectionis & advocatiæ, quam vocant, deinde religionem naturalem ** conservandi propagandique, tum legum ferendarum, definiendique causas

causas & lites in cetero sacro ortas, porro confirmandi
sacrorum antistites & quæ huius generis alia sunt. Tum
vero ipsa congregatio ad maiorem securitatem provehi-
tur & infidelium persecutio metuere definit, si capita
ciuitatis eam regendam suscipiant. Tandem vero suspicari
& animo præsumere licet, eum ipsum, cui cives securita-
tis fruendæ causa se submiserunt, nihil facile omis-
surum, quo secura esse, salva & in columnis sacra conciliatio queat.
Ex quibus omnibus adeo solutum est intelligere optime
sibi consulere socios, si eos, qui rerum potiti sunt in
ciuitate, eligant, ad quos iura, quæ ipsi conservare tu-
erique haud possint, lubentes transferant***.

* Itaque alia iura socialia sunt, quæ ipsa retinet ecclesia, alia qui-
bus sacrorum antistites legatique Christi utuntur. Hæc inter ex-
communicatio minor f. potestas arcendi, quos scelerum suorum
non paenitet, usi eucharistie refertur. Sed quoniā in potestatis
huius exercitio affectibus pravis saepe indulgent verbi divini mi-
nistri, occasionem hinc captantes vexandi quibus male cupiunt,
reliquos impune dimittentes, consultius est, ut hanc quoque po-
testatem his qui summo magistrati præsumunt, ecclesia largiatur.

** Ceterum quod publice adfirmavimus tum, cum defendendam
fusci peremus dissertationem inaugurelam, nunc iterum profi-
tehur; scilicet diversam esse curam religionis naturalis & Chri-
stianæ. Illam quidem ad ius maiestatis pertinere, quoniā sub-
lata religione naturali ipsa publica securitas fundamenta con-
centi atque convelli necesse est, hanc autem ad iura conventio-
nalia. Spectare hoc videtur illud SOGRATIS L.b. I. c. III.
Ἄλλα κοινωνίου ὁ Βασιλεὺς τὰ τέ Χριστὸς Θεοῦ πάντα
ως Χοσιαρχὸς ἀποτελεῖ αὐτούς τὰς ἐκκλησίας κ. τ. λ.
Et Constantinus quidem Christi religionem amplexus, cuncta
agebat tanquam Christianus; templo extreuens &c.

*** Quod ipsum nobilissima illa doginatum atque institutorum mutatione quo^e vetusto vocabulo reformatio appellatur, satis superque probat.

§. IV.

IVRA CONVENTIONALIA AD IMPERANTES
TRANSLATA SVNT CONSENSV ECCLESIAE
VEL EXPRESSO VEL TACITO.

Ad caput rei autem ut veniamus, de quo permulta sunt variaeque & theologorum & ictorum sententiae, Imperantes iura ista, quorum partes sectione prima tradidimus, sibi tribuere non aliter possunt, quam si ipse Christianorum cœtus unanimi consensione sive expressa sit, ut in scholis loquuntur, sive tacita lubens ad eos volensque transferat. Nam, quod plenius diximus, iura socialia ipsi ecclesiae ex natura sua atque indole convenient*. Itaque Imperanti non licet iisdem uti fruique nisi ipsa ecclesia de iure suo sua sponte aliquid detrahere velit, id quod ex natura domini facili negotio constabit. Quodsi itaque status imperii & quicunque imperium in republica habent, iuribus ipsis in rebus sacris utuntur, non potest dubitari, quin haec omnia ex iure ecclesiae cesso, non vi summi imperii acquisiverint. Cum enim Christianæ religionis affectatores, propter magnitudinem societatis, in quam tot myriades hominum coauerunt, iura tueri sua & conservare, deinde propter varia focialium studia, inclinationesque diversas, quid utille aut noxiun sit curare vix ac ne vix quidem potuerint;

necel-

necessitate quadam coacti, communisque finis ecclesiae obtinendi causa ius suum imperanti, & expresse & tacite concederunt.

* Pertinet hoc aliquo modo Friderici III. Electoris Palatini verum & apertum, quod Imperatori Rudolpho II. reddidit, responsum, cum ipso iniunxit ut ab emendanda religione desisteret. Darauf habe ipsa verba sunt, Ew. Kaiserl. Majest. zuvor, und ehe ich abgetreten bin, in der Person vernebet, daß in Gewissens uns Glaubens Sachen ich mehr nicht als einen Herrn, der ein Herr aller Herren, und König aller Könige ist, erkannte. Des Sinnes und Meinung bin ich noch, und sage dervewegen, daß es nicht um einen Koppen voller Fleisch zu thun, sondern daß es die Seele, und Seijkeit belange, die habe ich von meinem Herrn und Heylande Christo im Befehl, bin auch schuldig ihm dieselbe zu verwahren, daher kann Ew. Kaiserl. Maj. ich nicht gestehen, daß Sie, sondern allein Gott, der sie erschaffen, darüber zu gebiethen habe. Vid. CORTREII *Observat. ad Pac. Religios.* p. 77.

§. V.

TRANSLATIO IVRIVM CONVENTIONALIVM IN-
PRIMIS CONSTANTINI M. ET REFORMA-
TIONIS, TEMPORIBVS FACTA EST.

Quod ut dilucidius intelligi possit, lubet nunc distributius enodare & quo tandem modo iura ecclesiae ad Principes venerint copiosius tradere. Tempore Constantini M. (nam priora tempora silentio transimus)* mutata orbis Romani facie, ecclesia, quæ fugere & latere ut plurimum, aut omnes malorum injurias perpeti huc usque fuerat coacta, in libertatem vindicata rebus omnibus florere subito est visa. Atque tunc temporis cura re-

rum

rum sacrarum unanimi consensu, presbyterii, populi que
Christianorum Imperatori maximam partem data est.
Cuius quidem rei testimonio esse tum **SOCRATES** **
tum **EVSEBIVS** *** possunt, συνάγως, inquit Schola-
sticus, δὲ καὶ τους βασιλεὺς τὴν ἴσορᾳ περιλαμβανό-
μεν, διότι ἀφ' ἔχεισιν ξένην ἡρξαντο, τατῆς ἐνηλη-
σίας πράγματα ἥπτητο εὖ ἀυτῶν. Sed εἰς ipsos sub-
inde imperatores in hoc opere perpetuo includimus, propterea
quod ex quo illi Christiani esse cœperunt, ex illis pependerunt
res ecclesiastice. Quæ verba quid sibi velint, ex iis, quæ
Constantinus Imperator in convivio recipiens aliquando
episcopos teste Eusebio afferuit, haud difficulter intelligi-
tur: ἀλλ ὑμεῖς μὲν τῶν ἔιστα τῆς ἐνηλησίας. Εγώ
δὲ τῶν ἑντος υπὸ θεοῦ παθεθαμένος ἐπίσκοπος ἦν
εἶην, sed vos quidem eorum quæ sunt in ecclesia, ego vero eo-
rum, quæ sunt extra ecclesiam episcopus a Deo constitutus esse
videor. Deinde vero restitutis a Lutherō sacris & secu-
ta Dei immortalis nunquam tacendo beneficio litterarū
παλιγγενεστά, Principes Evangelici iura, quæ in ipsos
cadere poterant, conventionalia consensu populi occupa-
runt. Cum enim **LVTHERVS**, **MELANCHTHON**,
ZWINGLIVS, viri sine controversia maximi, ecclesiam
emendare, eamque ab erroribus Romanensium tum do-
cendo, tum scriptis repurgare suis instituerent, Pontifice
quidem & clero universo cum Imperatore ad eos oppri-
mendos conspirante, hos omnes in fidem suam tutelam-
que acceperunt Principes, & magistratus qui ad religio-
nem a Lutherō repurgandam transierant. Itaque ea-
dem

dem fere ratione, quemadmodum Constantini temporibus factum novimus, christianorum cohors summa animi cum voluprate se suaque iura tradiderunt. Videbant nempe si qui supererant purioris doctrinae affecti, eum esse rerum suarum statum ut propter miracula, imagines, reliquias, sanctorum cultum ac tandem unius Papæ dominationem ac monarchiam aurea ipsa ætas & τῆς ἐννληστρας ἀνυπή, qualis primo post Christum natum fuit, redire vix ac ne vix quidem possit. Ingemiscebant ergo tristissimæ sacrorum conditioni, sibique reges educatores & eorum principes feminas & nutrices exoptabant, quo facto occupatis a principibus occultis ecclesiæ votis feliciter deinde omnia peracta, & iura ne ullius quidem horæ mora interposita, tradita sunt.

* Christus salvator quamdui inter mortales dedit ipse ecclesiæ præfuit, sancte tamen & moderate, ut amoris potius quam imperii speciem præ se ferret. Sequenti autem tempore ab ipsa ecclesia conventionalia communis consilio in quantum temporis tristissimi ratio ferebat, servata sunt. Eminere quidem ex presbyterio quidam cœperunt qui ἐπισκόποι, ἡγεμένοι vocabantur, Act. XV. 22. Ebr. XIII. 7. it. XVII. 24. quibus in reliquos eiusdem urbis inspectio data est, non autem ut gregibus imperantes, sed ut ovilis exempla, quod testatur PETRVS i Epifl. V. 3. add. 1 Cor. III. 5. 2 Cor. III. 5. Nam ecclesia presbyteros suos elegit. vid. Actor. VI. 6. XIV. 23. socios male conciliatos ejecit, 1 Cor. V. & quaecunque ad ornamendam societatem pertinere visa sunt, ipsa ordinavit. Sed cum de iure translato ad imperantes non ad presbyteros aut ad episcopos disputeremus reliqua que huic pertinent volentes prætermittimus.

** In Proem. Lib. V. Histor. Eccl. p. 259.

D

*** De

*** *De vita Constantini M. cap. XXIV. p. 536.* qui optime addit,
 ἀνέλεθα δὲ τῷ λόγῳ διανέμενος τὴς αἰχμούνες ἀποτελεῖ
 ἐπεικότες, πρέπει ποιεῖσθαι τὸν περὶ ἡνὶ διάνοιαν τὸν ἐντελεῖην
 μεταδιδόνειν βίον Secundum hec dicta, cogitans quid facta opus
 esset, ut episcopum se gessit erga omnes subiectos impellens eos
 quantum poterat, ut religiosam vitam instituerent. Ex quibus
 omnibus palam est quomodo Constantinus suum episcopatum
 iis quidem verbis acceperit; scilicet de officio boni principis in
 convertendis ad resipescientiam, fidem pietatemque civibus suis
 extra ecclesiam, hortatu, legibus, exemplo. Plura de episco-
 patu Constantini Magni vide apud VLR. HYBERVM de civitate
L. v. 1. p. 151. & quos laudavit **VEDELIVM & PERRONIVM.**

§. VI.

QVOD IPSVM PROBATVR TESTIMONIIS.

Neque vero, quæ de consensu ecclesiæ expresso di-
 ximus, eo sunt interpretanda, quasi omnes ac singulos
 mentem suam expressis verbis principibus declarasse ar-
 bitremur, cui quidem sententiae assentiri novimus virum
 illustrem IO. VLR. CRAMERV*, sed quod putemus
 alias societas sacrorum causa institutas exposite & aper-
 te, alias autem tacite & per silentium iura tradidisse.
 Ita ut prius illud aliquot testimoniis evincamus & con-
 firmemus, primum de Palatinis testatur vir dum vive-
 ret illustris HENR. a COCCII **, status ac Princi-
 pes, inquit, Evangelici superiore saeculo, durante ita con-
 tentione, cum passim defectione at nulla reformatio fieret,
 & eam urgentes non audirentur, sed ad supplicia atrocissima
 vel raperentur vel peterentur, ipsi in territoriis
 suis, vigore potestatis suæ regalis reformare instituerunt,

Idque

Idque summa modestia ac moderatione uti ex pluribus
aëtis publicis perspicere contigit, non vero subditis coa-
ëtis nedum electis, aut excarnificatis sed instantissime
petentibus & urgentibus. Deinde de Saxonia tale testi-
monium perhibet V. LVDOV. a SECKENDORF. ***
Illustri etiam hoc exemplo convinci possunt, qui reformationem
ex principum libidine aut avaritia institutam esse criminan-
tur. Fridericus enim cunctatus satis est, & ne obolum qui-
dem ex optima illa Wittenbergensis ecclesia totius religionis
sue primarie fundatione revocare, aut lucri facere voluit,
omniaque potius in pristino statu conservare serio allaboravit.
Mutatio ergo non nisi theologorum zelo & assensu plororumque
ex clero & populo peracta est. De reliquis terrarum in-
colis non est quod testimonia adferamus. Nam etiamsi
adferre non possimus; tamen nostra stabit sententia,
cum certissimum sit, reliquos Evangelicorum minime
rebus intercessisse; sed plerosque suum tacitos assensum
præbuisse. Quod ipsum non obscure intelligi ex reso-
lutione questionis potest.: Ob verinage des Religions-
Friedens ic. die Macht Kirchen und Schulen zu refor-
miren, an der hohen Landes Obrigkeit hänge; imprimis
*ex iis, quæ pag. 755. **** apud ill. MEYERVM le-*
guntur: Pertinent hoc quoque quæ illustris de LVDEWIG
habet diff. de præcipuo Princ. Evang. c. V. §. 3. M mor
princeps sit reformationis Luthero doctore factæ, que non ob-
trusa coëtibus, sed his urgentibus eam rogantibus inter gemi-
tus & lacrymas per Deum, & divos indulta, suscepitque.
Quibus omnibus subiungenda sunt, quæ CANZIVS

disputat in positionibus de vocatione ministrorum ecclesiæ *****
 & ZECHIVS in meditationibus de iure reformati*****,
 qui duumviri iura ecclesiæ per pactum tacitum in prin-
 cipes translata esse demonstrant.

* *Diff. de Iure circa sacra &c.*

** *In Iurispubl. prud. cap. XVIII. Sect. 1. §. 26.*

*** *Lib. I Sect. LVII. §. 153. addit. 2. p. 276.*

**** *Tom. II. Act. pacis Westphal.*

***** p. 118. seq. et si hic sententiam mutasse suam videatur in *iuris-
 prud. Theol.* p. 361. quam deinde in *disciplin. moral. omnibus re-
 pudiat rursus & priori adeo fixa opinioni adstipulatur.*

***** p. 55. seq. & 138. f. seq.

§. VII.

IVRA PRINCIPVM CONVENTIONALIA IN LE- GIBVS IMPERII CONFIRMATA SVNT.

Verum opera esse pretium existimamus ut quæ di-
 sputata a nobis sunt, legibus imperii & pace imprimis
 Vestfalica evincamus. Ita in transactione Passaviensi
 §. auf dem Artikel die Religion cautum est: Es sollen
 auch der iegigen Kriegs- Übungs- Verwainde auch sonst
 alle andern Stände die andern des heil. Reichs- Stände
 geistliche und weltliche, gleichergestalt ihrer Religion,
 Kirchengebräuche, Ordnungen, quorsum etiam translatio
 iuri conventionalis pertinet, und Ceremonien, auch
 ihrer Haabe und Güther, Landleuten, Renten, Zins,
 Gulden, Ober- und Gerechtigkeiten halber unbeschwert
 und

und sie derselben friedlich und ruhig gebrauchen und ge-
nießen, auch sonst in Unguten gegen denselbigen nichts
fürnehmen, Deinde vel maxime hic facit articulus quin-
tus eiusque §. 33. Instrumenti Pacis Cæsareo-Suevici;
Pacta autem, ipsa verba sunt, transactiones, conventio-
nes, aut concessiones, quæ inter tales immediatos Imperii status,
eorumque status provinciales & subditos supra dictos de pu-
blico vel etiam privato exercitio religionis introducendo per-
mittendo & conservando antehac intercesserunt, initæ & fa-
ctæ sunt, eatenus ratae, & firme manento quatenus observan-
tie dicti anni MDCXXIV. non adversantur; nec ab iisdem
nisi mutuo consensu recedere liceat, non attentis, sed annibi-
latis omnibus anni MDCXXIV observantie, utpote quæ in-
star regulæ obtineat, contrariis latis sententiis, reversalibus,
pactis, quibuscumque transactionibus. pag. 17. edit. authen-
tica Rec. Imp. nov.

* Quid? quod in §. 26. & subditorum quorundam catholicorum iura
conventionalia firmata sunt; quidni adeo translatum hoc ius ad
imperantes firmum maneret & ratum; „Quodsi quoque Augustana
confessioni addicti in eiusmodi bonis ecclesiasticis media-
tis dicto anno dieque a Catholicis realiter plene vel ex parte
possessis iura praesertandi, visitandi, inspectionis, confirman-
di, corrigendi, protectionis &c. &c. habuerunt, item pa-
rochos, prepositos ibi aluerunt, iura ista illis sarta testaque
maneant.“ Et deo §. 31. „Hoc tamen non obstante statuum
Catholicorum L. indissili Vasalli & subdit ieiuncunque generis
qui five publicum five privatum Augustana confessionis exer-
citium anno MDCXXIV. quacunque anni parte five certo pacto
aut privilegio, five longo iuri five sola denique obseruantia
dicti anni habuerunt, retineant id etiam imposteriorum via cum
annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt aut exercita fuisse

probare poterunt. Cuiusmodi annexa habentur institutio
 „Consistoriorum, Ministeriorum tam scholasticorum quam ec-
 clesiasticorum, ius Patronatus & cet.

§. VIII.

A D F E R V N T V R A V C T O R I T A T E S
 a) THEOLOGORVM.

Verum iuvat ea, quæ nobis de translato iure conventionali in mentem & sub calamum venere auctoritatibus corroborare & quæ diæta a theologis & iureconsultis confirmandæ opinioni nostræ idonea sunt, tradere. Etsi enim sententia nostra nova & inaudita videri viris harum rerum intelligentibus minime queat, tamen obtингere nobis lector facile potest, qui iugulari causam etiam bonam posse, nisi testimonii firmetur, sibi persuadet. Inter sacrorum antistites primum nominandi sunt IO. GERHARDVS *, IO. FECHTIUS **, IO. GVL. BAIERVS ***, IO. ABRAH. KROMAYERVS **** & AVG. CHRISTOPH. PFAFFIUS *****. Sed horum omnium verba adscribere non fert instituti ratio. Itaque unum alterumque eligemus. Kromayerus optime ita de iure nostro, quod interpretati sumus. Adparet non sine ecclesiæ consensu potestatem ecclesiasticam Principes accepisse. Sicut enim bi, quod historia reformationis ubique testatur nil sine doctrina & consilio doctorum theologorum in rebus ecclesiasticis agebant, ita laici quoque doctrina pauca theologorum quam divina ope restituerant, acquireverunt, & cum his facile consenserunt, ut magistratus

stratus partes regiminis ecclesiastici exciperet, & potestatem ecclesiasticam administraret. Imo non potuerunt non consentire, nisi propriam negligere salutem voluere, cum iugi papalis per tesi libertate per Christum pacata frui & uti debuerunt. Unde eo magis consensus tacitus qui non potuit non presumi, sufficit, si non expresse eum declararunt. Sed recitabimus imprimis verba quibus usus venerabilis meritis suis senex ***** cuius scripta & commentationes quae ad hoc argumentum pertinent praestantissimas non negligenter nos pervolutasse ingenue profitemur. Competunt imprantibus, inquit, iura sacrorum collegialia. Ecclesia enim tacito consensu necessario hec iura principibus tradidit, atque principes suo quodam praecipuo iure ius sacrorum sibi arrogaverent, quae verba egregie explicat alio loco *****. Es kann der Fall kommen, daß die collegia durch den ganzen Staatsich diffundiren, und derselbe ganz da entritt, daß sie selbst wegen ihrer Größe und Menge so vieler sodalium, auch derer unter ihnen vorwaltenden privat Absichten, Unterscheid der Meinungen, Ungeschicklichkeit, Unart, unbändigen Wesens nicht im Stande sind sich gemeinschaftlich und collegialiter zu governiren, und ihre Anstalten zu besfolgen, oder auch die eingeschlossene Abusus zu reformiren, und daß, wo sie solches entrepenirten, nachfolglich Unruhe darüber in dem Staat entstünde, ja daß die collegia selbst eben deswegen entweder daß Exercitium ihrer Uhr Recht deseriren oder der Obrigkeit pacto vel tacito vel expresso überlassen.

* in

* in loco de ministerio ecclesiastico §. 106.

** in lect. theolog. in Syll. Disp. 43. §. 2. p. 493. 494.

*** in Compend. theolog. Part. III. c. IV. §. 3. n. e.

**** de potestate ecclesiastica p. 118. 119.

***** CHRIST. MATTH. PFAFFIUS *Iur. Eccl.* Lib. V. cap. II.
§. 1. in fin. & in Originib. eccl. p. 200.

***** in den academischen Reden über das Kirchen-Recht. Cap. V.
§. 9. seq.

§. IX.

B) ET IVRECONSULTORVM

Sacri ordinis hominibus quos nobis suffragari dimus addere iuvat divini humanique iuris consultos, in primis SAM. de PVFFENDORF* PHILIPP. EBERH. ZECHIVM ** NIC. HIER. GVNDLINGIVM *** VLRIC. CRAMERVM **** IO. GEORG. PERTSCHIVM ***** & ANONYMVM deductionis Hildesiensis ***** anno saeculi quod vivimus tricesimo evulgatae. Et GVNDLINGIVS quidem et si pluribus verbis de hoc argumento haud exposuerit, tamen quæ eius sit sententia ex iis perspicere abunde licet, quæ loco nobis laudato tradit. Illustris autem PERTSCHIVS nunquam nobis sine honore & admiratione commemorandus primum quæ vis ac potestas subiicienda sit iuri collegiali, demonstrat, & iura ipsa, quæ ad ecclesiam pertinent, breviter enarrat, deinde quo modo hæc iura principibus inter protestantes, ut plu-

plurimum tradita sint, ita egregie exponit §. XC. *Sicut ante reformationem clerus hec iura una cum maiestatis plerisque ad se traxerat; sic post Reformationem uti maiestatica in sua plenitudine principibus quæ postliminio restituta fuérunt; ita & consensu ecclesiarum sive expresso sive tacito collegialia iura pleraque his cesserunt.* AVCTOR anonymous denique, cuius modo mentionem fecimus, l. c. ita præclare tradit: *Besagte iura collegialia, welche einen großen Theil des Iuris circa sacra ausmachen, sind nun per suspensionem jurisdictionis ecclesiastice denen catholischen Bischöffen in Deutschland entzogen, und denen evangelischen Landes- Fürsten von ihren Unterthanen gleicher Religion übergeben, als in welche man billig das Vertrauen setzte, daß es ihnen weder an dem Vermögen noch Willen fehlen würde.*

* In libro, quem sepius laudavimus imprimis §. 40. vide & quæ contra Houtuynum disputat PVFFENDORF.

** In meditat. de lute reformandi p. 55. sq. 138. sq.

*** In via ad veritatem P. III. Cap. XXXV. §. 76. sq. p. 348. seq.

**** Diff. de iure circa sacra collegiali & maiestatico. §. 67. seq.

***** Element. Jur. Canon. & Prost. Ecclesiast. Lib. i Tit IV.

§. 87. seq.

***** Et autem verus auctor huius scriptoris D A V G E O S T R V

BE Vir titulus suis pariter, ac laude nostra maior, musarumque nostrarum auctor summo opere colendus. Ischellus, qui rem prout gesta est, fatus enarrat, ita inscribitur: An Ihre Churfürstl. Durchl. zu Cölln, als Bischöffen zu Hildesheim Vorstellung der Evangelischen Landstände des Hochstifts Hildesheim, werimmen dargehan wird, daß sich das Consistorium A. C. in unsreitiger Possession vel

vel quasi der Gerechtigkeit Feier und Fest - Tage, insonderheit Evangelische Jubila auszuschreiben, und anzubören, iederselbt befunden ic. p. 134. not. 14. in fine, add. si libet Diss. de *Iure sacrorum absolute & collegiali*, quam supra laudavimus & CHRISTIANILIBERI Abhandlung von den Collegial - Rechten der Evangelischen Kirche.

* * * * *

SECTIO III.

ADVERSVS EOS, QVI IVS SACRO- RVM IMPRIMIS CONVENTIONALE EX ALIIS FONTIBVS DERI- VARVNT.

§. I.

QVATVOR IMPRIMIS SENTENTIAE SVNT IN
QVAS ERVDITI DISTRAHVNTVR.

Dici autem non potest, quam funestas de Iure sacrorum sententia turbas & nostris temporibus, aceritasque controversias, quæ ne nunc quidem consopitæ sunt, excitaverit. Neque nos ita vani sumus, ut in commentarye hac nostra aliquid, quod certum, omnique careat reprehensione protulisse, arbitremur; adeo multa sunt δυσνόητα, aut certe videntur, ut mirum non sit sententiarum quædam divortia inde enata esse. Cuius quidem rei veram causam altius repetere iam nihil attinet. Hoc certissimum est; contra opinionem, quam stabiliendam defendendamque suscepimus, multa probabiliter

biliter disputari posse, quæ hic commemorare ab instituto nostro alienum minime videtur. Itaque hoc nobis propositum est, primum ut de sententiis aliorum exponamus, quam fieri potest, breviter, adiectis simul causis, quas vel allegant ipsi, vel quæ videntur ipsis, ut ita sentirent, induxisse; deinde quæ contra hos dici nostra opinione possint sine cuiusquam infestatione modeste indicemus.

§. II.

Quatuor autem sententiae vulgo ponuntur. Alii rationem Iuris sacrorum imperantium petunt ex scriptura sacra, laudantque in hanc rem Genes. XVII. 18. 2 Sam. VI. 12. 1 Cor. XVI. 4. XXIV. 3. * Alii contra sentiunt, & iura principi attribuunt, quoniam nobilior & primaria societatis pars esse videatur **. Malunt alii ex instrumento pacis iura derivare ***; Nec desunt denique qui ex superioritate territoriali, ut loquuntur, i. e. ex supra principis potestate repetenda omnia iura esse, quibus hodie principes A. C. utuntur, sibi persuadent. Et tres quidem priores sententiae diu abiecta evanierunt, posteriorem autem si cum nostra contuleris & quid homines docti ad opinionem suam stabilendam proposuerint, consideraveris; intelliges profecto, in quibusdam nobis suffragari, in eo autem, quod præcipuum est, suam a nobis sententiam seiungere. ****

* Secuti olim hanc sententiam sunt in primis theologi, quorum argumenta vide apud IO. GERHARDVM de magistratu politico S. 165. & BALTHAS. MEISNERVM Philos. Jobria P. III. p. 405. & GOTTL. WERNSDORFF de Iure magistratus civilis circa vocationem ministrorum ecclesie. Verum enim vero a statu sacrorum veteris Testamenti & peculiari a deo forma reipubl. Iudaicæ, quippe quæ theocratia fuit, ad nostra tempora concludi minime posse egregie ostenderunt CHR. THOMASIVS in libro: *Recht Evangelischer Fürsten in theologischen Streitigkeiten* p. 26. lq. 33. lq. in primis Vir. S. Rev. CHR. MATTH. PFAFFIVS Institut. *Iuris Eccl.* p. 236. seq.

** Arripuit hanc sententiam olim IO. CASP. IÆGERVS Tract. de concordia sacerdotii & in primis cap. IV. sed alia evincit supra nobis laudatus SAM. de PVFFENDORF I. c. §. 41.

*** Atque inter hos referendi sunt NICOL. CHISTOPH. LYNCKER de superioritate sacra, & SAM. STRYCK de Iure papali Principum Evangelicorum, Cap. I. S. 10. sed perniciosem horum sententiam esse, gravissimeque errare eos, qui ita existimant, dudum ostenderunt VIR SUMMIUS HENR. a COG-CEII diss. de Evocat. sacrorum §. V. in fine IO. GEORG. REIN-HARD Meditat. de iure principis Germ. &c. &c. cum primis SAXONIÆ circa Sacra ante tempora reformationis exercito, cuius argumenta CAROLVS FRANCISCVS BUDDEVS postea in vernaculari & epitomen transfluit, qui libellus inscriptus: Untersuchung des wahren Grundes der Höchsten Gewalt eines Fürsten in Kirchen-Sachsen. IO. PET. de LVDEWIG. Diss. de Principiis S. R. A. potestate in Sacris ante pacem religionis &c. & ILL. IVST. HENR. BOEHMERVS de Iure episcopali & Vir summe Rev. C. M. PFAFFIVS in den Reden über das geistliche Kirchen-Recht p. 99. Sed illam litem de qua per aliam occasionem exponere animus est nostram nunc non facimus.

§. III.

GO. LEON. BAVDISII SENTENTIA
ENARRATVR.

Atque illi fere sunt, qui iura conventionalia & manifestatis ex iisdem fontibus nempe ex summo imperio imperanti vindicata cupiunt. Inter quos eminent (nam omnium inire numerum nihil attinet) GEORG. G.O. KEVFFELIUS * GO. LEONH. BAVDISIVS GOTTL. SAM. TREVERVVS et qui celebritate omnes superat IVST. HENNING. BOEHMЕRVS. Primum de BAVDISIO videamus; nam KEVFFELII viri docti sententiam quisquis demum auctor sit dissertationis saepius nobis laudatae ** ita iugulavit, ut actum agere nobis videamur, si verbum ea de re addamus. Illustris igitur vir, in quo quanta fuerit solidioris doctrinæ legalis, desecatique ingenii copia, omnes qui iudicare de his rebus possunt, dudum agnoscunt, de iure conventionali ita breviter exponit ***, neque vero est quod illam operandi potestatem ad consensum expressum, tacitumque collegii ipsius cum V. Celeberrimo (Pfaffo) referamus, que rectius ab imperio summae potestatis in actus imperabiles collegii petatur. Verum enim vero, si ea, quæ eruditæ vir Illust. in libello suo de hoc arguento exposuerit, serio attentusque consideraueris, intelliges profecto, ita nobis cum acutissimo BAVDISIO convenire, ut ipsum suffragatorem esse minime leuem sententiae nostræ arbitremur. Aut enim egregie fallimur

E 3

aut



aut opinio nostra ex iis, quæ a viro summo disputata §. 33. sunt, colligitur. Primum enim, ait, in iis societibus, quæ receptam in civitate formulam non sequuntur, plura nos videre negotia agi absque summae potestatis interventu, licet dubium non sit in eiusmodi quoque collegii eidem inspectionem & directionem competere, ad eundem etiam decisionem controversiarum circa causas ecclesiasticas in eo emergentium unice spectare. Deinde vero optime addit, nam quedam imperans solus agit, cuiusmodi sere sunt, quæ eminentioris sunt potestatis; alia rursum collegio permittit, summo tantum arbitrio sibi servato, alia etiam cum collegio simul perficit, qua in re non uniformes sunt mores; quod libertas naturalis collegiorum mutationi obnoxia sit atque pro diversitate locorum plus minusve possit esse restricta. Quæ omnia profecto, quorsim pertineant, non opus est, ut pluribus tradamus, ac demonstremus.

* Element. iurispr. eccl. univers, Lib. i. C. 5. §. 15. seq.

** §. 33.

*** In egregia commentatione de *fundamentis causarum ecclesiasticarum* §. XXXII.

§. IV.

TREVERI SENTENTIA MODESTE EXAMINATVR

Deinde nobis contingit adversarius, modo huic verbo in tam leni disputatione locus sit, Vir. ill. dum viveret

GOTT.

GOTTLSAM. TREVRS, qui suam de iure
sacrorum conventionali mentem ita declarat. * Malim
tamen ius circa sacra & religionem deducere ex principiis iure
supreme inspectionis in quævis societates, quævis collegia ci-
vium, quo præcavet, ne ullum reipubl. præiudicium exinde pro-
nascatur. Deinde addit: non opus hic est, ut fingamus iura
principiis collegialia iuribus maiestatis contradistincta, nihil est
in principiis imperio, quam maiestas, nihil in maiestate, quam
complexus iurium summi imperii, que si adplicare necesse sit
ad interiorem alicuius collegii constitutionem, exinde non aliam
induunt indolem, nec iura dici possunt a iuribus maiestatis
diversa. Sed quod pace manum tanti viri dicamus,
quem olim præceptorum optimum, fautorumque
amabilissimum nos habere iucunde meminimus, hæc
omnia, quæ loco cit. exposuit, nondum eius momenti
sunt, ut ab ea, quam diximus, nos dimovere sententia pos-
sint. Nam primum ponimus id, quod nemo potest cum
aliqua veritatis specie negare, ecclesiam, si eius indolem
speciemus, peculiari diversoque uti iure, quod qui negat
nihilo plus faciat, nisi ut ipsam libertatem naturalem sub-
latam cuperet. Deinde non potest non diversum hoc pecu-
liare ius esse ab eo, quo in dirigendis moderandisque sacris
securitatis firmandæ causa principes utuntur, quod ip-
sum ius maiestatis ex iure inspectionis, quod in universas
republicæ societates, adeoque sacrorum causa conciliatas
habet, hauriendum derivandumque est. Itaque cum ecclæ-
sia ut Sect. II. demonstrauimus iura sua seque ipsam
adeo prudenti consilio imperanti tradiderit; quis dubi-
bit

bit imperantem ex iure quoque cesso sacra moderari, & plus adeo in principis hodie esse imperio, quam id, quod maiestatem communi nomine appellamus. Et sane si fieri posset, ipsum Virtum *vivē ἀγελοῖς* arbitrum optaremus nobis ab inferis revocatum contingere totius de iure sa-
cerorum disputationis nostræ. Si enim verum non vidit vir laude nostra maior, & ea forte iudicandi vis in illo loco & acrimonia desideratur, quam in reliquis suis omnem ætatem laturis scriptis demonstravit, hoc inde arbitramur esse, quod non adeo serio attentusque de diffi-
cili hoc argûmento cogitaverit.

* In *commentario ad Puffendorfium p. 489.*

§. V.

ILL. BOEHMERI SENTENTIA.

Maiori conatu, apparatuque, sed ea ipsa quoque mo-
destia & humanitate, quæ summos viros decet, ius sa-
cerorum qualemque ex summo imperio vindicatum ivit
Illustr. IVST. HENNIG. BOEHMERVS Iuris Ecclesiastici quin universi iuris consultorum facile prin-
ceps in *Diss. de iure Liturgiarum ecclesiastico* * Et commen-
tatione XII. de extraordinario primitivæ ecclesie statu **
cui iam conabimur aliqua certe parte, quamvis timidus-
cule, prout decet ætatem nostram, satisfacere. Ipsa ver-
ba, quæ hic pertinent, lubet adscribere, que cum ita sint
facile quoque fundamentum, quo principes protestantes iura
sacra

scra sibi adferre potuerunt, id quod, cum ex iure Imperi supremo, quo omnibus invigilant, negotiis, a me fatus alibi ad ductum atque derivatum sit, nihil causæ adesse video, cur aliud præterea fundamentum illi adiungi debeat. Primum, quæ iam occupata in ipsa Diss. sunt, & illi ipsi, qui consensum sive verum sive fictum sublatum cupiunt, largiuntur, societati, quæ de communibus sacris habendis pœna iniit, iura quædam concedenda sunt, prout finis, cuius obtinendi causa coaluit, id postulare videntur. Seet. I §. I. Ex quo effecimus, iura alia esse scrorum maiestatis, alia conventionalia, quod ipsum vir illust. loco nobis laudato assertit. Admitto inquit, distinctionem inter iura sacra maiestatica & conventionalia, & sicut illa principi, ita hæc ecclesiæ, ut collegio, propria sunt. Quæ vero deinde disputat vir meritis suis illustris de conditione veteris ecclesiæ, statumque extraordinarium nonnulla ab iis iura extorsisse, quæ in statu pacifico, quieto & ordinario non necessaria, sed a republ. exercenda fuissent, ea, si dicendum, quod res est, neque cum libertate cuiuscunque societatis, neque cum iis quæ seet. I. a nobis demonstrata sunt, conciliare possumus. Illud sane, si quid videmus, certum est, primum iura, quæ maiestatis vocavimus, quorsum pertinet

F

nent

nent ius advocatiæ, & inspectionis, peculiare in rebus ecclesiasticis constituendi iudicium, reliqua locum in veteri ecclesia vix ac ne vix quidem habuisse. Deinde hoc quoque lubentes largimur: episcopos deinceps, *presbyterosque depo-*
suisse sententia lata, de singulorum criminibus iudicasse, & de
controversiis obvenientibus ius dixisse, quæ omnia, quoniam maiestatis sunt, mutata rerum facie vindicare sibi imperantes iure potuerunt, nec ecclesia sibi ea in re iure aliquid tribuet. At enim in eo vel maxime fere offendit difficultates, ex quibus se vix expedient, qui eandem cum illustr. BOEHMERO sententiam tuerintur: num iura conventionalia una cum iuribus maiestatis, (quæ iniuste ademta erant ante reformationem principibus) arrogare sibi, & tribuere sine delegationis formula, sine voluntatis delegantium coniectura imperantes possint. Itaque illud fere omnium minime concoquere possumus in viro consultissimo, quod adfirmet: *in Iurium sacrorum (quibus verbis, quoniam generatim concepta sunt, & maiestatis & conventionalia continentur) exercitio ecclesiæ nihil deberi, ab his in principes nihil translatum esse, proprio iure, non communicato, quævis expedire principes.* Ceterum, quod est de translariione, ipse vir illustris alio loco *** concedit, posse ecclesiam iura, quæ ad totam ecclesiam spectant, unilaterive

alterive conferre. Quidni adeo iura toti collegio competentia uni imperanti conferat, ut imposterum solitarie in ipso cœtu ab imperante exerceantur, ceteri autem ab eorum usū excludantur? Hoc enim, arbitramur, difficultatem non habet, quod christianorum cœtus Constantini Imperatoris & reformationis temporibus necessitate coacti de iure suo concederint, cum ridiculum fore, credere, iura, quibus olim gavisa ecclesia est, conventionalia ideo extingui, & ad nihilum quasi redigi, quoniam propter societatis magnitudinem non adeo commode uti ea potuerit. Sed plura volentibus iniiciunt alia, tantoque minus opus esse putamus in hac disputatione versari diutius, quod confidimus, si quis, perleto diligenter hoc libello, conferre nostram cum BOEHMERIANA sententiam voluerit, eum aut visurum sine nostra opera, uter probabilius de iure conventionali disputaverit, aut frustra nos cum his, qui BOEHMERVM sequuntur, disceptatueros. Mitius certe dicere non possumus, quam non absurdam videri cuiquam viri magni sententiam posse, sed neque aliquid ab eo prolatum esse, quo ea, quæ de Iure sacrorum utroque a nobis dicta sunt, evertantur.

* Quæ premissa Tom. III. *Jur. Eccl. Proeft.*

** §. XXX. pag. 546. seq.

*** Tom. I. *Jur. Eccl. Prot.* Tit. XXXIII. *de maioritate & obed.*

§. 29. seq. Add. *disp. de Iure Episcopali Princ. Evangel.*

F I N I S.

pag. 9. lin 11. leg. *declinato* pag. 15. l. 10. voluntate fit. pag. 26. l. 3.
 $\pi\varphi\sigma\tau\varrho\pi\tau\tau\eta\pi\varrho\alpha\vartheta$. Reliqua in quibus parum diligentes
 operæ fuerunt, B. L. non morabuntur.



*** * ***

Audiencia fuerunt in fine disputationis nostra ex vario iure corollaria quædam, ne fautoribus atque amicis occupationibus, quibus longum est commentationem cognoscere, disputandi materies deesse videatur. Posuimus autem in his aliqua, non quæ nobis imputari, aut invidiæ & fraudi esse velimus, sed quæ, ne frigeat auditorium, conabimur defendere.

I.

Interpretatio authentica & doctrinalis non ad ius naturæ, sed ad leges positivas sive divinas sive humanas pertinet.

II.

Pœnis & præmis ad leges servandas nova necessitas obligatioque non inducitur.

III.

Tantum non omnes, qui testamentificationem iuris naturæ esse negant, de verbis magis, quam de re ipsa disputant.

IV.

Possessio inter species iuris rerum minime referenda est.

Etiam



V.

*Etiam laici, quos vocant, Superintendentes
esse possent, si summae potestati, quæ vica-
rios eligit, ita videretur.*

VI.

*Iudicia ecclesiastica, quæ apud Protestantes
consistoria vocant, in civitate non simplici-
ter necessaria sunt.*

VII.


*Germania nostra est respublica una, compo-
sita, irregularis.*





f

sl.



Q. B. V. D.
1748, 32.
DISSERTATIONEM
IVRIS ECCLESIASTICI PROTESTANTIVM
P V B L I C I
DE
IVRE CONVENTIONALI
SACRORVM DIRIGENDORVM
AVCTORITATE
MAGNIFICI IVRECONSULTORVM
ORDINIS
P R O L O C O
IN FACVLTATE IVRIDICA LIPSIENSI
SVO QRDINE OBTINENDO
A. D. XXVI. SEPT. CLO ICCCXLVIII.
PVBLCHE DEFENDET
D. IVST. CAR. WIESENHAVERN
HORIS ANTEMERIDIANIS CONSVETIS SINE, POMERIDIANIS SECUNDA
ET SEQ^Q
CVM RESPONDENTE
CAROLO LVDOVICO STIEGLITZ.
LIPSIENSI.

L I P S I A E
EITTERIS BREITKOPFIANIS.